

- tum fratris, instituta turpi personâ, vel agere duntaxat ad supplementum? necessarium esse constituitur nonnulla ex sententia Authoris, quibus præfata questio non adeo dubia videbitur; imò distinctione, & resolutione majori, quam antea erat, explicata manebit, & num. seq.
- 25 Frater si instituta turpi personâ, à fratre suo præteritus fuit, vel exheredatus, nec aliquid ei in testamento relictum est; tunc per querelam rumpet testamentum in totum, ex sententia Baldi, quæ probatur, & hoc n. excorruptur per Authorem.
- 26 Frater instituta turpi personâ, si neque præteritus fratrem neque etiam exheredavit illum, imò potius titulo institutionis, aut titulo etiam particulari (in hoc differentia non est) integram Legitimam, hoc est, quartam partem ei reliquit; tunc fratri querela non competit ullo modo, ut per totum numerum declaratur.
- 27 Et lex 12. titulo 7. partita 6. in id noviter ponderatur.
- 28 Ac contraria sententia Authores damnantur.
- 29 Frater, si instituta turpi personâ, fratri præterito, vel exheredato aliquid reliquit, sed minus Legitimam, titulo tamen institutionis; tunc ei duntaxat competit jus agendi ad supplementum, nec querelare potest testamentum.
- 30 Frater instituta turpi personâ, si fratri præterito, vel exheredato reliquit aliquid, sed non titulo institutionis, an tunc ad supplementum agi possit? & per totum ubi in effectu Angelis sententia probatur, & contraria Guil. rejicitur, defenditurque, ad supplementum duntaxat agi posse.
- 31 Frater in omnibus casibus, in quibus instituta turpi personâ à fratre suo, ad supplementum duntaxat agere potest, vel Legitimam tantum, hoc est, quarta parte bonorum debet esse contentus, in his omnibus non tenetur ad legata pro quarta parte, remissive.
- 32 Frater si rumpat testamentum fratris per querelam, quia in eo fuit instituta turpi personâ, an teneatur ad omnia legata, & fideicommissa etiam universalia relicta in testamento fratris?
Et sic an textus in authent. ex causa, Cod. deliberis præteritis, habeat etiam locum inter fratres, instituta turpi personâ? & certè dubia est, & difficilis hæc questio, quam propterea egere decisione, & præsentia Principis dixit Salicetus, & arduam vocat Julius Clarus.
Et multas fuisse in expositione illius Authent. Doctorum opiniones, & eas retulisse P. Jacob. & Fulgiosum dixit Antonius Theaurus.
- 33 Sed in terminis nostris, quòd non habeat locum dispositio d. authent. ex causa, C. de liberis præteritis, sed quòd simul cum institutione omnia corrumpant, tenuerunt quamplures, qui hoc numero & sequent. præcitantur.
- 34 Et hanc esse communem opinionem testantur Paulus, Alex. & Jason, & tenendam alij Authores dicunt, qui hoc num. referuntur.
- 35 Ac denique, ejusdem fundamenta omnia adducunt Salicetus, Jason, & Menchaca, de quibus accipiunt alij.
- 36 Et contrarie partis rationibus respondit Anton. Galeat. Malvassia in conf. 24. num. 71. & 72.
- 37 Et post leges Partitarum amplectuntur eandem sententiam Gregorius Lopez, & Hieronymus de Cevallos, ut hoc numero adnotatur, & vidè infra, numero 44.
- 38 Sed contrariam sententiam, imò decisionem textus in dict. Authent. ex causa, C. de liberis præteritis, habere locum inter fratres, instituta turpi personâ, tenent Bald. Curtius junior, Cagnolus, & alij quamplurimi, qui hoc num. præcitantur.
- 39 Et hujus partis fundamenta quatuor, post Salicet. adduxit Jason, qui in effectu, & vere quidem, atque
- concludenter (licet ipse in contrarium teneat cum Communi) respondet omnibus fundamentis, quæ pro contraria parte ponderari solent.
- 40 Præcipuo etiam fundamento Communis respondent Julius Clarus, & Ferdinandus Menchaca.
- 41 Jura etiam, & rationes permutas pro hac parte consideravit Ignèus.
- 42 Et concludentem, novamque rationem tradit, ac etiam respondet præcipue rationi Communis Anton. Theaurus.
- 43 Quæ equidem rationes adeo movent Authorem, ut secundam hanc sententiam contra Communem libentius probaverit, ut per totum numerum latius adnotatur.
- 44 L. finalis, titulo octavo, partita 6. pro opinione Angelis vere non facit, ut contra Gregorium Lopez, & Hieronymum de Cevallos, hoc numero adnotavit Autor.
- 45 L. 1. tit. 4. de los testamentos, lib. 5. novæ collectionis Regiæ, expendi posse pro opinione Baldi contra Angelum, & sequaces.
- 46 Turpes, aut infames personæ quæ dicantur, ad hoc ut institutus ei possit frater querelare testamentum fratris? & num. seq.
- 47 Antonij Gomezij sententia in proposito, noviter, & vere declarata per Authorem.
- 48 L. fratres, C. de inofficioso testamento, cum alternative loquatur, sufficit quòd una qualitas ex illis tribus concurrat in hærede scripto; & sic, vel quòd sit infamis, vel turpis persona, aut levi maculâ notetur.
- 49 Infamis infamiâ facti dicitur ille, cujus opinio apud probos viros lesa est, & onerata.
- 50 Spurij sunt infames, turpes, & viles.
- 51 Expositus Hospitali, si non probetur legitimus, turpis persona dicitur in proposito, remissive.
- 52 Filius Presbyteri dicitur infamis infamiâ facti, & comprehenditur sub dispositione l. fratres, C. de inofficioso testamento.
- 53 Nisi aliis sit vir probus, & honestus, & maxime si ad officia publica sit admittus, ex sententia Alvari Valasci.
- 54 Quem secuti sunt Moderni duo, qui hoc num. præcitantur.
- 55 Author tamen contra defendit, & in id expendit optimum, & notandum consilium Tiberij Deciani 31. per totum, volum. 4. ubi adeo concludenter satisfactum omnibus, quæ pro Valasco excogitari possunt, & sic plene sententiam hanc tuetur, ut nihil ultra desiderari possit.
- 56 Naturalis filius, saltem ex legibus hujus Regni comprehendendi non debet sub dispositione l. fratres, C. de inofficioso testamento.

Cum fratres testantes, plerumque alios potius relinquant hæredes, quam proprios fratres, quos sæpissimè graviter fuerunt, licum pater, §. evictis, ff. de legatis 2. leg. cum oportet, versic. sic enim, C. de bonis qua liberis: ex quibus sic annotavit Joannes Cephalus in consil. 166. n. 10. lib. 2. & nonnulla dicit ad propositum Jacobus Mandellus de Alba in consil. 770. num. 1. & in consil. 773. in principio, lib. 4. Fratrum quoque gratia cum rara sit, ut inquit Poëta, & refert Cagnolus in l. 1. ff. de inofficioso testamento, num. 8. frequenter dubitari contingit utrum frater præteritus, vel exheredatus in testamento fratris, possit illud inofficiosi testamenti querelâ, vel alio remedio impagnare? Et communiter in eam itum est sententiam, ut licet ab intestato frater succedat fratri; tamen contra testamentum ejus succedere non possit, quia frater liberè extraneum instituire, & fratrem exheredare, vel præterire potest sine causa, l. 1. & per totum titulum, ff. C. de inofficioso testamento, ubi sic tenent communiter Doctores, nec ullus in hoc dissentit, ut constat ex referendis infra, & inter alios sic

- sic adnotatur expressim Antonius Gomezius tom. 1. variarum, cap. 11. num. 37. in principio. Suarez in Thesauro commun. verbo, frater, num. 336. Michael Grassius receptorum sententiarum, §. testamentum, quest. 46. numero 1. Bonifac. Rogerius in consil. 9. nu. 3. lib. 2. infinitos alios sciens, consultòque prætermitto, quia, ut dixi, statim referam eos: id tamen, & communiter etiam explicari solet, ut procedat, dummodò frater, præterito, aut exheredato fratre suo, instituat personam honestam, & integræ opinionis; & famæ, quia aliàs frater contra testamentum fratris, turpi personâ instituta, querelam movere potest, l. 1. l. fratris, 21. l. fratres, 27. C. de inofficioso testam. l. 1. ff. eodem tit. §. soror autem, Institut. eodem tit. l. 12. tit. 7. part. 6. & l. 2. ejusdem tituli. leg. 2. tit. 8. part. 6. & latissime explicarunt Bartolus, Baldus, Angelus, Paulus, Salicetus, & Jason in dict. l. fratres, C. de inofficioso testamento, Curtius junior, Cagnolus, & Cujacius in d. l. 1. ff. eod. tit. Paulus in cons. 268. Ad primum, vol. 1. Jas. in cons. 71. vol. 1. Decius in cons. 530. Cels. Hugo in cons. 73. Mathefil. notabili 49. Cremenfis singul. 90. Grat. in cons. 6. lib. 2. Berous in cons. 19. lib. 2. Ancharan. Regien. quest. familiar. lib. 1. qu. 11. per tot. & lib. 2. qu. 60. per tot. Paril. in cons. 64. lib. 3. Rolandus in cons. 87. per totum, lib. 3. & in cons. 95. num. 25. lib. 4. Marcus Mantua in cons. 592. Viso testamento, Natta, in cons. 478. lib. 3. Afflictis decis. 125. & decisione 204. Rota Romana decis. 505. Gregorius Lopez in dictis legibus, Particæ, Didacus Perez in l. 1. tit. 8. lib. 5. ordinamenti, verbo, positiones, Roder. Suar. in l. quoniam in prioribus, C. de inoff. testamento, in princ. ex n. 12. Palacios Rub. in repet. rubr. de donat. inter, §. 10. ex n. 9. cum seq. fol. mihi, 89. Guill. B. ned. in c. Rainuntius, de testam. verbo, Rainuntius de Clera, n. 28. & verbo, in eodem testamento, el 2. num. 23. & uxorem, accensione 5. num. 157. Antonius Gomezius, Ferdinandus Menchaca, & Mich. Grassius, qui breviter, & distinctè, atque absolute etiam explicarunt materiam hanc, ille tom. 1. variar. cap. 11. de successione contra testamentum, num. 37. 38. & 39. alter de successioinum creatione, lib. 1. §. 10. ex num. 565. usque ad num. 609. Grassius denique in §. testamentum, quest. 46. per totam, & quest. 47. Quædam diversarum quest. juris, cap. 6. num. 11. Julius Clarus §. testamentum, quest. 50. & quest. 52. num. 5. Gama decisione 143. Franciscus Vivius decisione 162. à num. 9. libro 1. Alvarus Valasco consultatione 17. per totam, Simon de Præcis de interpretatione ultim. volunt. lib. 5. in interpretatione 1. dubitatione 1. num. 69. & 70. folio 443. Hieronymus Gabriel in cons. 30. lib. 2. Antonius Theaurus decisione Pedemontana, 126. & tribus seqq. Achilles Pedrocha in cons. 19. num. 51. Joannes Franciscus de Ponte in cons. 66. num. 1. & in cons. 68. nu. 11. extantque singularia, & notanda consilia tria in hac materia Tiberij Deciani, præcipue 31. per tot. lib. 4. ubi doctè quidem, & latè Antonij Galeatij Malvassia cons. 24. per totum, lib. 1. & Joannis Vincentij Hondedei 47. per tot. lib. 2. Colta etiam in cap. si pater, de testamentis, in 6. 3. part. in verbo, potest, num. 4. & 5. ubi rectè probat, quòd substitutus pupillaris etiam turpis, fratrem consanguineum, aut etiam matrem ipsam excludit, idque ex ratione text. in 1. Papinianus, §. sed neque impuberis, ff. de inofficioso testamento, & non solum in pupillari substitutione, sed etiam in exemplari, ut ibi videri poterit: in vulgari autem, an substitutus vulgaris debeat instituta turpi personâ, excludi per fratrem, qui inofficiosi testamenti querelam instituit, ut quamvis institutus obtinere non possit hæreditatem, locus non sit substituto, vide Antonium Theaurum, dict. decisione 127. per totam, ac denique in præsentia materia scripserunt etiam Antonius Pichardus in dicto §. soror, per totum, Institut. de inoff. testamento, Hieronymus de Cevallos præcitarum communium, quest. 566. novissime Andreas Fachineus controversiarum juris, lib. 4. cap. 91. & 93. Angelus Matheacus de legat. & fideicommissis, lib. 4. cap. 9. & omnes non advertunt ad unum, quod mihi aliquan-
- de difficultatem faciebat, nec hætenus ab aliquo explicatum video: videlicet comunis tam Antiquorum, quam Neotericorum omnium consensu, simul ad promiscuè allegari text. in dict. l. 1. ff. de inofficioso testamento, & in d. l. fratris, & l. fratres, C. de inofficioso testamento, quasi idem probent, hoc est, fratrem de inofficioso fratris testamento agere non posse, nisi tunc demum, cum turpis persona sit hæres instituta: & tamen text. in dict. l. 1. ff. de inofficioso testamento, & in dict. l. fratris, C. eod. tit. differentiam hanc non admittit, aut saltem nullo modo exprimit eam; imò simpliciter ad inofficiosi testamenti querelam fratres vocavit, nec distinguit, an honesta, vel turpis, aut infamis persona sit instituta, quod ex dictis legibus constat expressè: textus vero in d. l. fratres, C. de inofficioso testamento, id expressit apertius, & dubium omne removet. Unde vel aliter antea fuerat statutum, atque ex illa lege corrigitur, coarctaturve, ut procedat duntaxat, quando turpis persona fuit instituta: vel aliquid novum lex illa venit decidere, quod superiores Interpretes minimè explicarunt.
- Idcirco constituendum est ante alia, etiam Digestorum jure, & tempore, sive seculo Jureconsultorum, fratribus numquam licuisse de inofficioso fratris testamento agere, nisi turpis persona fuisset instituta; quod licet non expresserint, apertè præsentiant omnes Authores hucusque in proposito scribentes, qui, ut vides, inter hæc jura non distinguunt, sed uniformiter accipiunt illa, & turpis personæ institutionem requirentes, ad id allegant text. in dict. l. 1. ff. de inofficioso testamento, & in d. l. fratris, ubi de turpi, aut infami persona instituta nihil exprimitur, quasi ea jura explicari debeant per text. in d. l. fratres, C. de inofficioso testamento, ubi Imperator unum duntaxat addit prædictis legibus; sive unum de novo inducit, hoc est, quòd licet ex generali traditione dict. leg. 1. ff. de inofficioso testamento, l. posthumus, ejusd. tit. & dict. l. fratris, C. eodem, frater quicumque, etiam uterinus, querelare possit fratris testamentum turpi personæ instituta; tamen post decisionem dict. leg. fratres, solus frater ex utroque latere conjunctus, vel saltem consanguineus ex parte patris, de inofficioso testamento possit experiri, nec uterinus poterit, qui tantum ex parte matris conjunctus est: quod advertit Glossa ibi, verbo, consanguinei, dicens: Qui sunt ex eodem patre, sed matre eadem, vel non, ut Institut. eodem tit. §. 1. Et sic lex illa in sui materia est singularis, & notabilis secundum Bartol. & alios ibi, quia nulla alia est lex, quæ tot casus complectatur, ut ibidem fatetur Jason in principio, & tria principaliter intendit, in quibus post Baldum ibidem in summario, conveniunt omnes Scribentes communiter Primò enim dicit, quòd fratres uterini tantum non habent querelam inofficiosi testamenti, ut superius diximus, atque ex illo textu adnotarunt Ant. Gomezius tom. 1. variar. cap. 11. num. 37. in versic. quod primò intellige. Menchaca de successioinum creatione, lib. 1. §. 10. num. 577. & 578. Michael Grassius §. testamentum, quest. 46. num. 5. qui tamen, & alij quamplurimi relati supra decipiuntur, dum ad id allegant text. in dicta leg. fratris, & in d. l. 1. ff. de inofficioso testamento, in quibus contrarium potius probatur, dum simpliciter ad querelam vocatur frater, nec distinctio prædicta adhibetur, an uterinus tantum vel consanguineus frater sit. Secundò quatenus non considerant novum jus, quod in ea lege introducitur, nec antea fuerat introductum: introductionis autem ratio fuit, quia cum querela inofficiosi testamenti, juris civilis remedium esset, quod populi Romani moribus fuit receptum, ut contra alios resolutum in l. ult. C. unde legitimi.
- Secundò dicit textus in dict. l. fratres, quòd fratres utrinque conjuncti, vel consanguinei tantum, habent querelam.